

Campanella Rhet.

Logicus disputet de Bono & malo, non tamen in quantum huicmodi, sed in quantum verè bona, aut verè malalunt: sic Rhetor de vero, & falso, non in quantum huicmodi, sed ut verum est malum, aut bonum: sic & falsum: Non enim contendit in iudicio per se Orator, vtrum Petrus occiderit hominem, an non verè; nisi quia malū est occidere, & pœnam meretur. Quæ n. nil ad malitiam aut bonitatem faciunt, non considerat orator, vti nec de linea, nec de albedine niuis; sic neque suadet, neque dissuadet, nisi bona, vel mala, vel minus bona. Neque laudat, neque vituperat nisi iam dicta voluntatis obiecta. Logicus autem non, nisi entitates rerum, quatenus veræ, aut falsæ de eis propositiones sunt, perpendit; & ideo de omnibus rebus sermocinatur, quoniam Magister scientiarum Metaphysicus tali instrumento sibi apto circa scientias negotiatur omnes.

At quia Legislator ita est ad vitam, & mores, sicut Metaphysicus ad scientias: inquit si bonus est Legislator, prius Metaphysicus est: & dum leges ad bonum hominum fieri indiget instrumento: quo illas suadeat: Nam vtrum verae sint, an false; & re verae utilis, an non, discursu scientifico prius examinat, dialecticōque instrumento. Oratores ergo sunt quicunque populos regunt, quoniam Legislatoris sunt ministri: Similiter qui consulunt Reip. & qui accusant, aut defendunt reos secundum legem; quæ bonum commune, & priuatum respicit, negotiantur.

Sacerdotes, & Prophetæ, qui diuinæ leges tinentur, & laudant, & virtutia refecant, & ad bonum æternum Remp. dirigunt, Oratores sunt; alij à Deo immediate instructi, vt Apostoli, alij ex Apostolicis ex culti præceptis, vti Concionatores. Versatur ergo Dialectica in scholis ad philosophos; Rhetorica in foris, & in templis, ad populos.

Duces quoque exercitus, & imperatores hac arte utuntur ad milites confirmandos, & exhortandos.

Neque villa potest hominum congregatio consistere, siue militaris, siue latronum, siue sanctorum, siue ciuilis,